DE ARTIS HISTORICAE APUD GRAECOS INCREMENTIS ATQUE DE THUCYDIDE

SCRIPSIT

ERNESTUS HAUSDÖRFFER.

dem Herrn Director Dr. Krüger

hochachtungsvoll

Eutin Mrz.
1846.

E. Hsdrffr.

. . . . . ὁ Σιμωνίδης τὴν μὲν ζωγραφίαν ποίησιν σιωπῶσαν προςαγορεύων, τὴν δὲ ποίησιν ζωγραφίαν λαλοῦσαν. ἃς γὰρ οἱ ζωγράφοι πράξεις ὡς γινομένας δεικνύουσι, ταύτας οἱ λόγοι γεγενημένας διηγοῦνται καὶ συγγράφουσιν. εἰ δὲ οἱ μὲν χρώμασι καὶ σχήμασιν, οἱ δὲ ὀνόμασι καὶ λέξεσι ταῦτα δηλοῦσιν, ὕλῃ καὶ τρόποις μιμήσεως διαφέρουσι· τέλος δὲ ἀμφοτέροις ἓν ὑπόκειται, καὶ τῶν ἱστορικῶν κράτιστος ὁ τὴν διήγησιν ὥσπερ γραφὴν πάθεσι καὶ προσώποις εἰδωλοποιήσας.

Plutarch. de Glor. Athen. tom. II. pag. 366. ed. Io. Iac. Reiskii.

Quintus, ni fallor, abhinc ipse annus est, quum ab Herodoto, historiae patre, ad Thucydidem eo consilio gradum feci, ut, quibuscum iam ante familiaritatem aliquam contraxissem, nunc hos scriptores inter se conferendo quid uterque in arte historica profecisset accuratius quam antea cognoscerem. In Herodoti quidem Musis lectitandis quum rerum, quas per partes suas apte dispositas in ordinemque aliquem redactas enarrat, summa varietate detinebar, tum orationis suavissima dulcedine animique candore capi ac deleniri mihi videbar. At vero de Thucydide quis est, qui se ita negotium peregisse dicat, ut, quamvis summa cum cura ac diligentia semel iterumque perlegerit, sibi nihil

sit relictum, in quo quid eniti aut quid efficere possit ostendat [1])? Meorum quidem, quae ad antiquas literas referebantur, studiorum ex illo tempore ea semper erat ratio, ut quantum esset otii, in graecis historicis et praecipue in Thucydide meo consumerem, non quod in eo vel explicando vel emendando praeclarius aliquid perficere me posse putarem, sed ut in primis meae ipsius animi voluntati satisfacerem, deinde ut etiam si quid forte, quod scriptione dignum videretur, elaborassem, id, quantum et possem per meam mediocritatem et mihi liceret per muneris mei scholastici multum negotium, tam accurate et diligenter conscriptum ad aliorum cognitionem producerem. Quam in rem etsi iam ante hos tres et quod excurrit annos nonnulla habebam parata, tamen cum mea, quam modo significavi, occupatio maxima, quidquid de studiis literarum meis meditabar in opportunitatem si aliqua mihi accidisset, iussit differri, tum vero ipsa rerum ratio mearum me privavit, id quod aegerrime ferebam, horis perpaucis illis quidem, quae a muneris officiis vacuae etiamtum erant relictae. Quo factum est laboribus cum vix opprimi mihi viderer neque emergendi fere facultas daretur, ut illa quae mihi proposueram et quae perficiendi spem tenuem antea habebam si minus plane desperata at deserta iacerent.

Itaque hanc scribendi occasionem ex veteri ac laudabili nostrae scholae more institutoque celebratam quum mihi oblatam per hosce dies necopinans viderem, non invitus feci, ut aliquam ex meis literarum studiis materiam si non magnam multamque, mihi tamen acceptam et gratam deligerem, quae eadem non prorsus esset inutilis paulo exercitatioribus certe quidem in graeca lingua primi nostrae scholae ordinis alumnis, quibus proxime, cum Meyerus, v. c., qui fasces huius scholae habet et idem primas in ea classi partes agit, gravi morbo ac diuturno, id quod non sine maximo ferebamus dolore, detineretur, Thucydidii libri aliquam partem interpretatus sum. Qua in re cum verear ne sint, qui de his schedulis talem, qualem ego explere nec volui nec in his

[1]) Christoph. Frid. Ferd. Haacke praefat. ad Thucyd. in usum iuvenum stud. ed. Lips. MDCCCXXXI pag IV. „In Thucydide interpretando non facile reperietur qui nusquam offenderit ac veram Scriptoris mentem semper et ubique penitus se percepisse iure contendat.“ Quae quum ita sint facere non possum, quin vehementer sane doleam, quod ut multis libris, ex quibus satis praesidii adiumentique ad accuratiorem Thucydidii operis cognitionem quaeri soleat, destitutus sum, ita copiosissima illa quidem a Poppone v. c. condita editione careo. Quid igitur feci? — tritissimum illud est et verissimum: scriptorem sui quemque optimum esse interpretem. Itaque crebro repetita accurata libri lectione, ita natura eius et ingenio me imbuere studebam, ut Thucydidis sentiendi et cogitandi rationem quantum possem per meam mediocritatem pernoscerem et comprehenderem.

temporis angustiis potui, exspectationem habeant neve iidem, quum cognoverint, spe nescio qua temere concepta deiecti iniquius de iis et severius, quam in tumultuaria earum conditione aequum sit, iudicium faciant, id cum primis ego monitum velim, me quidem non eo, quod a quibusdam initum videmus, consilio hoc scribendi negotium suscepisse, ut literulas qualescunque venditarem aut exemplum facultatis aliquod, quam ad explicandum Thucydidem mihi comparassem, expromerem, sed eam potius me mihi legem scripsisse primariam, ut discipulorum, quorum bonarum literarum studiis, quantum in me esset, prospiciendum esse semper censebam, et nunc hac occasione capta, commodis servirem. Qua propter quod hic de Thucydide commentariolum a communibus elegantiorum hominum studiis non adeo alienum neque id tam plene pertractatum et subtiliter, quam summatim et breviter conscriptum protuli, hoc an lector aequi boni faciat dubitaverim. Quodsi ego res nonnullas sive brevius scripsisse sive levius attigisse visus ero, quam aut dubitatio ea, quae in iisdem adhuc adhaerescat, aut ipsius Thucydidis dignitas non suadere sed postulare videatur, oro lectorem rogoque ut ne negligentiae vel socordiae id tribuat meae, sed ei huiuscemodi libelli conditioni, quae multo magis brevitati quam amplitudini studere cogat.

At quaerat quis quid fuerit causae, ut Thucydidem praecipue, arduum illud quidem ad penitus intelligendum opus, scholae in umbris enarrandum mihi sumpserim? Audio! Ego vero me quoque ipse fateor primum subdubitasse, possentne id aetatis adolescentes ad sublime Thucydidis ingenium animo et cogitatione comprehendendum adduci. Sed eundem quum scirem in scriptorum classicorum seriem eorum, qui deinceps, suo quisque tempore et ordine, in illa classi tractantur, receptum esse et ipsi discipuli a me verecunde peterent, ut quem iam ante ex Meyeri v. c. subtili atque elegante interpretatione adamare coepissent, Thucydidem et ipse ego expedirem, nolui facere, ut aut a more atque instituto ego recedere viderer aut illorum probae et modestae voluntati me nimis difficilem praeberem; nec sine aliquo et iucunditatis et utilitatis fructu operam fuisse meam me eventus ipse docuisse videtur. Quod autem nonnulli Thucydidii sermonis difficultatem queruntur atque insolentiam eius maiorem esse arbitrantur, quam quae ei, qua eius aetatis adolescentuli imbuti esse soleant, linguae graecae scientiae exercitationique apta videatur, eorum sententiam licet pluribus hoc loco impugnare nolim, quin ego quidem sequar unam saltem causam attulisse contentus sum, quae causa cum in omnes classicos, quos dicunt, scriptores cadat[2]), tum maxime

[2]) Hegel Ästhetik p. 525: „Wie mit dem menschlichen Körper und dessen Ausdruck verhält es sich nun auch mit den menschlichen Empfindungen, Trieben, Thaten,

in Thucydidem convenit: narrationis dico perspicuitatem evidentiamque [3]). Quae praecipua orationis laus, a Graecis ἐνάργεια sive διατύπωσις dicta (cf. Quintil. IV, 2, 63 seqq. Longin. de subl. XV, 2, 9) cum ex crebris dicendi exercitationibus et nasci et crescere fere soleat, facile est ad intelligendum, tanto veteres in hoc dicendi ornamento nostrae aetatis homines superasse, quanto illi res omnes suas sive publicas sive priva-

Begebenheiten und Handlungen; auch ihre Äusserlichkeit ist im Klassischen nicht nur als naturlebendig, sondern als geistig charakterisirt und die Seite des Innern mit dem Äussern in adäquate Identität gebracht." — I. H. Deinhardt Gymnasialunterricht. Hamburg 1837. p. 77. „Wenn man das ganze Leben der antiken Welt und ihre Erzeugnisse mit dem Leben der modernen Welt und ihren Erzeugnissen vergleicht, so verhalten sie sich durchweg wie Gegenständlichkeit und Innerlichkeit, wie Objectivität und Subjectivität — Alles, was sie sagen und thun, ist rein plastisch und gegenständlich. Da ist doch auch nichts Inneres, kein Gefühl, kein Gedanke, der nicht äusserlich dargestellt wäre. Es liegt Alles offen zu Tage, es bleibt kein dunkler Rest, wie bei den Neuern — es ist Alles durchsichtig und auskrystallisirt und anschaulich.

[3]) Cicero Acad. lib. II. c. XIV, pag. 45. perspicuitas illa satis magnam vim habet, ut ipsa per sese ea, quae sint, nobis ita ut sint, indicet cf. Goerenz ad l. l. p. 86. — K. W. Krügerus ad Dionys. Halic. p. 7 seqq. cum Addendisp. XLVI — Lucian de histor. conscribend. cp. LI. fin. Plut. in comm. supra laud. „bellone an pace clariorr. fuerint Athenienses" p. 367 ed. Reiskii — τῶν ἱστορικῶν κράτιστος ὁ τὴν διήγησιν ὥσπερ γραφὴν πάθεσι καὶ προσώποις εἰδωλοποιήσας. ὁ γοῦν Θουκυδίδης ἀεὶ τῷ λόγῳ πρὸς ταύτην ἁμιλλᾶται τὴν ἐνάργειαν, οἷον θεατὴν ποιῆσαι τὸν ἀκροατὴν, καὶ τὰ γινόμενα περὶ τοὺς ὁρῶντας ἐκπληκτικὰ καὶ ταρακτικὰ πάθη τοῖς ἀναγινώσκουσιν ἐνεργάσασθαι λιχνευόμενος (γλιχόμενος?) — Sed ne plura, ad C. Odofredum Müllerum, Magnum Virum, provocandum arbitror, quem ego meum magistrum et vivum quam maxime verebar colebamque et mortuum summa pietate prosequor; is igitur testis de huiusmodi generis rebus locupletissimus in libro, qui inscribitur „Geschichte der griech. Litteratur. bis auf das Zeitalter Alexanders. tom. II. p. 352 ita iudicat: „Ja wir dürfen fragen, ob es irgend eine Periode der Geschichte des Menschengeschlechtes gibt, die mit einer solchen Klarheit vor unsern Augen steht, als die ersten ein und zwanzig Jahre des Peloponnesischen Krieges durch das Werk des Thucydides; wo wir jede Begebenheit in allen irgend wesentlichen Punkten, in ihren Gründen und Anlässen, ihrem Verlauf und Ergebniss, mit der Bestimmtheit und dem Gefühl von Vertrauen auf die führende Hand des Historikers verfolgen können, wie in jenen ein und zwanzig Jahren."

tas dicendo, nos vel minimas scribendo peragere soleamus. Itaque de Thucydide nihil dubito quin is sit, ad cuius lectionem adolescentes, dummodo Herodoti et Xenophontis lectione praeparati nonnullum linguae graecae usum habeant et ad aliquam iudicandi facultatem pervenerint, tum accedere debeant propter singularem libri praestantiam tum naviter sint adiuvandi propter rerum orationisque difficultatem. Quamquam ego non is sum, qui aliorum lectionem scriptorum angustioribus finibus circumscriptam velim, nedum a scholis eam repudiandam esse censeam.*) Nemo enim quisquam dubitet eorum, qui recte ac prudenter de his rebus iudicant, quin magna sit vis atque opportunitas, ut de poetis Graecorum principibus taceam, in oratoribus Lysia, Isocrate, Lycurgo, denique in Demosthene, uno omnium horum principe, et ad honestum animum alendum corroborandumque et ad iuvenile ingenium formandum acuendumque. At historia ut cuiusvis generis materiam habet, ita rerum varietate aeque ac delectatione aliqua allicit ad se et invitat[4]). Quid enim? rerum narratio omnium ingenio convenit, rerum gestarum cognitionem omnes appetunt. Et vero omnes, quorum curae honeste instituenda formandaque iuventus tradita et penes quos harum rerum iudicium est, uno ore in eo consentiunt, nulla re magis iuventutem, quam rerum gestarum cognitione ad omnis humanae virtutis studium promoveri[5]), id quod praeclare Facciolatus dicit „aut ipsa, in-

*) „Die jetzige Menschheit versänke unergründlich tief, wenn nicht die Jugend vorher durch den stillen Tempel der grossen alten Zeiten und Menschen den Durchgang zum Jahrmarkte des spätern Lebens nähme.“ Jean Paul.

[4]) Hegelii: Philosophie der Geschichte p. 73. „Wenn wir die Weltgeschichte von der Kategorie aus ansehen, von welcher aus sie angesehen werden muss, so haben wir ein unendliches Gemälde menschlicher Lebendigkeit, Thätigkeit unter den mannigfaltigsten Umständen, Zwecken aller Art, der verschiedenartigsten Ergebungen und Schicksale vor uns. In allen diesen Begebenheiten und Zufällen sehen wir menschliches Thun und Treiben oben auf; überall Unsriges, und darum überall Reizung unseres Interesses dafür oder dawider. — Überall das bunteste Schauspiel, und wenn eines entflieht, tritt Anderes wieder an seine Stelle.

[5]) G. G. Gervinus: Grundzüge der Historik p. 75. „Sie (optimae notae historici) wirken nicht auf den Verstand allein, der überall trennt und theilt, sondern auf das Gemüth, das überall Eins ist; sie reden nicht zu einzelnen Stimmungen, Leidenschaften, Empfindungen, sondern zu dem ganzen Menschen auf einmal; sie gewinnen ihn nicht für diese oder jene That, sondern sie erheben ihn auf einmal zu kräftigem Entschlusse und Willen überhaupt; sie lehren weniger das Erzählte benutzen, als den Erzählern nachstreben, die mit reiner, männlicher Gesinnung die Welt beurtheilen und mit gesundem Blicke überschauen.“

quit, morum doctrina nihil est aliud nisi historia: aut ita cum historia iuncta, ut si caret exemplis, sit ieiuna". Nam ita nos homines natura sumus comparati, ut in aliorum indole, in qua quidem ipsa explicanda, quum eadem in conspectum cadat seque sive verbis sive factis ostendat, haud levissimum historiae munus cernitur, suum quisque ingenium intueamur atque inde aut quod imitemur sumamus aut quod aversemur fugiamus. Quam historiae rem Plinius bene agnoscens (panegyr. c. 45) „melius, inquit, homines exemplis docentur, quae in primis hoc in se boni habent, quod approbant, quae praecipiunt, fieri posse". Audiamus Plutarchum, qui quem ipse ex vitis clarorum virorum enarrandis fructum ceperit, ita profitetur (Timol. init.)[6]) Ἐμοὶ μὲν τῆς τῶν βίων ἅψασθαι μὲν γραφῆς συνέβη δι' ἑτέρους, ἐπιμένειν δὲ καὶ φιλοχωρεῖν ἤδη καὶ δι' ἐμαυτὸν, ὥσπερ ἐν ἐσόπτρῳ τῇ ἱστορίᾳ πειρώμενον ἁμωσγέπως κοσμεῖν καὶ ἀφομοιοῦν πρὸς τὰς ἐκείνων ἀρετὰς τὸν βίον. Οὐδὲν γάρ ἀλλ' ἢ συνδιαιτήσει καὶ συμβιώσει τὸ γινόμενον ἔοικεν, ὅταν ὥσπερ ἐπιξενούμενον ἕκαστον αὐτῶν ἐν μέρει διὰ τῆς ἱστορίας ὑποδεχόμενοι καὶ παραλαμβάνοντες ἀναθεωρῶμεν κ. τ. λ. — Hanc igitur historiae vim et naturam etsi haud scio an nemo neget in infinita illustrium exemplorum copia mirum quantum ad excitandas in legentium animis latentes sincerae et infucatae humanitatis scintillulas valere et ad sensum recti honestique acuendum plurimum facere[7]), multi tamen et ex veterum numero illorum[8]), quorum scripta ad nostram pervenerunt aetatem, et ex recentioribus ideo historiae causam parum recte intellexisse videntur, quod primarias eius partes habebant eas, ut eadem et de rebus gestis ageret et praecepta ad vitam recte agendam perhiberet, quin etiam ipsa nihil nisi aliquam recte ac sapienter vivendi disciplinam contineret[9]). Iam solam eiusmodi

[6]) cf. de hoc capite in Timoleontis vitam referendo C. Fr. Hermannum: diar. Halens. a. MDCCCXXXIV nr. 70. et Sintenis in editione ab ipso instituta tom. I. p. 468.

[7]) cf. G. F. Schoemann praefat. ad Plut. Agis et Cleomen. Gryphiswaldiae 1839.

[8]) Polybius III, 7, 5 seqq. XI, 8. I, 35. Livius praefat. Rectius Tacitus de historia sensisse videtur: praecipuum, inquit, munus annalium reor, ne virtutes sileantur, utque pravis dictis factisque ex posteritate et infamia metus sit. Herodotus in prooem. Dionys. Halic. Antiqq. V, c. 75. et prooem.

[9]) Roussavius: les hommes sensés doivent regarder l'histoire comme un tissu des fables, dont la morale est très appropriée au coeur humain opp. tom. VIII. p. 242. Rectius Hegel Philosoph. der Geschichte p. 9. „Was die Erfahrung und die Geschichte lehren ist dieses, dass Völker und Regierungen niemals aus der Geschichte etwas gelernt und nach Lehren, die aus derselben zu ziehen gewesen wären, gehandelt hätten u. s. w. — Franc. Biese philosophische Propädeutik Berlin 1845 p. 242, not. 163. a, — Fried. Fischer „Lehrb. der Logik 1838. p. 220. §. 101.

disciplinam si quis appetat vehementer erret, si in rerum gestarum sriptoribus optimae notae et aetatis mera praecepta se reperturum credat. Neque enim quisquam eorum, qui historiarum libros condiderunt, nisi ignarus rei dignitatis et expers ipse historicae artis fuit, hunc scribendarum rerum finem sibi constituendum arbitratus est, ut multo magis disputationem quandam, qua mores legentium conformentur, quam historiam institueret. Verum hoc loco Polybium non tacendum puto, qui idem, quum ipse historiam critica ratione tractaret, atque hominum quidquid esset sapientium ad eandem rationem amplectendam usque adhortaretur, severissimum reliquorum historicorum censorem se exhibuit. Nam eius opus quamvis multis sane numeris sit summis laudibus dignum, ut haud temere Hemsterhusius tanta scriptoris admiratione captus esset, ut si fieri posset unum eius librum deperditum plaustris homiliarum SS. Patrum redimere vellet, tamen hoc, quod modo dixi, nomine historiae naturam parum intellexisse videtur [10]) — Itaque quoniam haec non ago inter homines, qui antiquas literas nescio an maiore inscientia quam inani superbia despiciant, si ego propter singulare animi mei de Thucydide iudicium praedicatione eius iustissima me non abstinuero, non timendum mihi esse puto, ne aut invidium obtrectationemque quorundam excitasse aut ipse iusto maiorem Thucydidis gloriam dixisse videar.

Singularis est et praestantissima virtus libri, quem Thucydides de bello peloponnesiaco composuit, ut si quis iam primo statim huius meae dissertatiunculae introitu me meam roget sententiam audacter libereque profiteri audeam idem de historico genere Thucydidis, quod Ruhnkenius de oratorio Demosthenis indicavit [11]): in Thucydide artem historicam ad tantum fastigium se extulisse mihi videri, ut ultra quo progrederetur, non dicam apud veteres Graecos illos, sed apud omnes omnino, quantum ego quidem perspicio, omnium saeculorum gentes, quae quidem suarum rerum pronuntiatorem sint nactae, non haberet [12]). Cum omnes artes ac disciplinae et originem suam Graecis

[10]) cf. K. W. Nitzschium meum, qui diligenter et ingeniose de Polybio atque de historico eius opere disseruit libello, qui inscribitur „Polybius. Zur Geschichte antiker Politik und Historiographie. Kiel 1842."

[11]) Historia critica oratorum graecorum.

[12]) C. Odofred. Müller l. l. p. 353. „Die neuere Historiographie wird sich diese Durchsichtigkeit der Thukydideischen Darstellung immer zum Muster nehmen müssen, aber es wird ihr bei der Trennung zwischen populärem Wissen und bestimmten Fachstudien, bei den complicirteren Einrichtungen des neuern Lebens und weil selbst in den freiesten Staaten unserer Zeit sich so Vieles der Öffentlichkeit immer noch mehr entzieht als im alten Sparta, über dessen geheime

debeant et progressionem, non est quod miremur, si historiae quoque conscribendae ars ab iisdem Graecis primis exercita, eximium in modum exculta, omnibus ex partibus perpolita fuerit. Iam prima historicae artis aetas, si primordia et ipsa specioso artis nomine appellari liceat, non paucos rerum antiquarum scriptores tulit, quos eosdem λογογράφους dictos[13]) ita excepit Herodotus, ut quibus aetate suppar aut paulo esset inferior, eosdem arte longe vinceret. Qui quanta cum animi alacritate atque industria id studuerit, ut in omnibus, quas aut ipse vidit aut ab aliis sciscitando accepit, rebus et perspiceret verum et, quoad eius facere posset, perspectum in commentarios suos referret, cum ex eiusmodi verbis intelligi potest, quibus de dubiis mirisve enarrans rebus sinceram suam aperiat sententiam I. 140. Ταῦτα μὲν ἀτρεκέως ἔχω περὶ αὐτῶν εἰδὼς εἰπεῖν· τάδε μέντοι ὡς κρυπτόμενα λέγεται καὶ οὐ σαφηνέως περὶ τοῦ ἀποθανόντος κ. τ. λ. III, 115. Αὗται μέν νυν ἔν τε τῇ Ἀσίῃ ἐσχατιαί εἰσιν καὶ ἐν τῇ Λιβύῃ· περὶ δὲ τῶν ἐν τῇ Εὐρώπῃ τῶν πρὸς ἑσπέρην ἐσχατιέων ἔχω μὲν οὐκ ἀτρεκέως λέγειν· οὔτε γὰρ ἔγωγε ἐνδέκομαι Ἠριδανόν τινα καλέεσθαι πρὸς βαρβάρων ποταμὸν κ. τ. λ. I, 183 ἐγὼ μέν μιν οὐκ εἶδον, τὰ δὲ λέγεται ὑπὸ Χαλδαίων, ταῦτα λέγω. coll. III, 45. IV, 187. II, 113. II. 43 seqq. ne plura afferam — tum vero luculenter apparet ex hoc loco, ubi, qua erat religione et diligentia, fontium, unde sua hauserit, rationem reddens, totum eorum genus hunc ad modum discernit II, 99 Μέχρι μὲν τούτου ὄψις τε ἐμὴ καὶ γνώμη καὶ ἱστορίη ταῦτα λέγουσά

Staatsverhandlungen Thukydides klagt, kaum möglich sein jene zu erreichen". cf. Thuc. V, 68. τὸ μὲν γὰρ Λακεδαιμονίων πλῆθος διὰ τῆς πολιτείας τὸ κρυπτὸν, ἠγνοεῖτο et Schol. ad h. l. et p. 351. Wenn völlige Klarheit der Erzählung, Übereinstimmung aller einzelnen Punkte unter einander und mit der sonst bekannten Lage der Dinge, Harmonie des Erzählten mit den Gesetzen menschlicher Natur und den Charakteren der handelnden Personen eine Bürgschaft der Wahrheit und Treue der Geschichtschreibung ist, so haben wir diese Bürgschaft bei Thukyd. im vollsten Maasse".

[13]) cf. de his logographis Creuzer Art. Historic. Graecorr. p. 63 seqq. Dahlmann in libro, qui inscrib. „Herodot. Aus seinem Buche sein Leben p. 108 §. 21. Ab huiusmodi generis logographis, qui λόγους antiquitus ore traditos literis consignaverunt, longe diversi sunt ii, qui et ipsi λογογράφοι dicti orationes forenses in aliorum usum pretio conficere solebant, quorum in numerum referendi sunt: Antiphon, Lysias, Lycurgus, Isaeus, Demosthenes, Hyperides alii. Nam ex quo tempore Antiphon ea conditione orationes forenses composuerat, ii omnes, qui eodem munere fungentes quaestum facerent, λογογράφοι vocabantur. cf. Platon. Phaedr. 257 C. et Stallbaum ad l. l. Quintil. II, 15, 30 Meier et Schoemann Atticc. proc. p. 707.

ἐστι, τὰ δὲ ἀπὸ τοῦδε Αἰγυπτίους ἔρχομαι λόγους ἐρέων, κατὰ ἤκουον· προσέσται δέ αὐτοῖσί τι καὶ τῆς ἐμῆς ὄψιος [14]). Quamquam autem insigni historiae patris nomine [15]) Herodotum optimo iure esse ornatum dixeris, quem incredibili sane res antiquas et terrarum naturas cognoscendi ductum studio longinqua fecisse itinera,[16]) omnesque peregrinandi labores et infinita pericula obiisse sciamus, de quo et ipse Dionysius Halicarn. verissimum faciens iudicium: epist. ad Cn. Pompei. III. p. 29 ed. C. W. Krüger: (Οὐ μὴν, inquit, Ἡρόδοτός γε τοῦτ' ἐποίησεν) ἀλλά, τῶν πρὸ αὐτοῦ συγγραφέων γενομένων Ἑλλανικοῦ τε καὶ Χάρωνος τὴν αὐτὴν ὑπόθεσιν προεκδεδωκότων, οὐκ ἀπετράπετο, ἀλλ' ἐπίστευσεν αὐτῶν κρεῖσσόν τι ἐξοίσειν· ὅπερ καὶ πεποίηκε — tamen cum ipsa animi indoles, cuius victricem vim nemo quisquam prorsus subterfugere possit, tum etiam aetatis illius opiniones pravae quaedam et nonnulla de abditis et reconditis rerum causis superstitio, quam ut disiiceret et depelleret non aeque nostro contigit ac Thucydidi, in causa erant, quominus quamvis seriam licet vera inveniendi mentem voluntatemque et suscepisset et constanter quidem certe totam per vitam coleret, narratiunculas quasdam fabulosas perspiceret et reiiceret. Ego vero Herodoti tantum abest ut quidquam de merita laude detrahere velim aut audeam, ut nefas habeam virtutes historici magnas illas quidem detrectare aut etiam ipsum maledico carpere dente, utpote cuius historias ego quidem nunquam legam, quin sive orationis mirabilem venustatem magis magisque amare mihi videar sive candidum animum et apertum suspiciam et quantum superiores quotquot fuerant, qui quid possent in historia tentassent, omnes non tam aemulatione quam sua ipsius ingenii vi summaque facultate superaverit admirer [17]). Cuius generis scriptores fortunae nescio qua invidia

[14]) Dahlmann. l. l. p. 111. — Creuzer Art. hist. Graec. p. 174 seqq.

[15]) C. Odofred. Müller l. l. I, 479 seqq. „Der erste Grieche, in dessen Kopf der Gedanke sich entwickelte — dass auch die Erzählung *wahrer* Begebenheiten (nicht erdichteter Gegenstände) einen mächtig ergreifenden Eindruck auf die Gemüther machen könne, der Homer der Geschichtschreibung, war *Herodot*".

[16]) De Herodoti vita et itineribus scripsit C. W. L. Heyse Berol. 1827. Dahlmann l. l. p. 53 seqq. — De gente Herodoti cf. Naeckium ad Choeril. fragm. p. 18. Heyse l. l. p. q. seqq. et, qui proxime de ea re disseruit, Pistotheum Tzschirner in libello, qui inscribitur Panyasidis Halicarnassei Heracleadis fragmenta. Vratislaviae 1842. cp. II. p. 7.

[17]) Quintiliani de Herodoti oratione sententia haec est: Instit. Orat. IX, 4, 18: In Herodoto vero cum omnia, ut ego quidem sentio, leniter fluunt, tum ipsa διάλεκτος habet eam iucunditatem, ut latentes etiam numeros complexa videatur. cf. Dionys. Halicarn. De compos. verbb. III. p. 37—47 ed. Schaefer. Apud Athenaeum III, 15

idem accidit, quod ceteris antiquitatis literarum monumentis longe plurimis, ut si ab Herodoti, qui eiusdem fere ac Thucydides erat aetatis, discesseris historiis, qui ante Thucydidem historiam instituerant, eorum libri ad unum omnes perierint neque quidquam ex iis nostra aetate relictum habeamus nisi nonnulla eorum membra per diversos huc illuc dispersa posterioris demum aetatis scriptorum libros, quoniam hi quum et ipsi res gestas scriberent, sua tantum non omnia ex illis vetustis operibus sumebant[18]). Quos etsi fatendum est, non optima quaeque ex vetustioribus illis secernentes in usus suos convertisse nec ubique ea, qua par erat, diligentia id studuisse, ut ex quo auctore sive pauca tantum verba sive integros locos exhiberent, cum satis intelligerent, tamen ex illis, quae singulari eruditorum nostri aevi hominum studio accuratissime examinata et, quantum fieri poterat, aptissime disposita sunt, fragmentis, si non plenam cognitionem, aliquam saltem imaginem istorum auctorum confingere possumus, qui primi res gestas conscribere instituerunt atque iidem solutam orationem deinceps mirifico ingeniosissimorum hominum concursu concelebratam condiderunt[19]). Verissime ac iuste Dionysius Halicarn. de iis ita iudicat: De Thucydide Iudic. p. 70 ed. C. W. Krüger: οὗτοι προαι-

p. 78 E. p. 309 Schw. Herodotus vocatur ὁ θαυμασιώτατος καὶ μελιγηρύς — Iam ab aequalibus Herodoti historias magni esse aestimatas contra Dahlmannum contendit optimo iure Heyseus, cuius verba l. supra l. p. 44 haec sunt: Vehementer vero errat Dahlmannus, ubi (p. 31) veteres Graecos plerosque sic animatos fuisse arbitratur in Herodoti opus, ut id minime iis probaretur, sed potius displiceret, atque omnino vituperatores plures, quam laudatores adeptum sit. Quod si verum esset, unde, quaeso, Musarum nomina libris Herodoteis indita?" Müller l. l. I, 493 seq.

18) Iam antiquissimis temporibus multa veterum scripta eaque magnis laudatissima virtutibus fuisse rara, Porphyrius testis est apud Eusebium, Praeparat. Evang. X, 3: σπάνια δὲ τὰ τῶν πρὸ τοῦ Πλάτωνος γεγονότων βιβλία. — Dionys. Halic. horum ipsorum scriptorum habens aestimationem De Thucyd. Iudic. p. 126 ed. Krüg. οὔτε - διασώζονται τῶν πλειόνων αἱ γραφαὶ μέχρι τῶν καθ' ἡμᾶς χρόνων, οὔθ' αἱ διασωζόμεναι παρὰ πᾶσιν, ὡς ἐκείνων οὖσαι τῶν ἀνδρῶν πιστεύονται· ἐν αἷς εἰσὶν αἵ τε Κάδμου τοῦ Μιλησίου καὶ Ἀρισταίου τοῦ Προικοννησίου καὶ τῶν παραπλησίων τούτοις.

19) Plin. Hist. Nat. V, 29. Miletus — nec fraudanda cive Cadmo, qui primus prosam orationem condere instituit. VII, 56. prosam orationem condere Pherecydes Syrius instituit, Cyri regis aetate, historiam Cadmus Milesius. Strabo I, p. 18. λύσαντες τὸ μέτρον τἄλλα δὲ φυλάξαντες τὰ ποιητικὰ κ. τ. λ. — F. A. Wolf. Prolegomen. ad Hom. p. LII seqq.

ρέσει τε ὁμοίᾳ ἐχρήσαντο περὶ τὴν ἐκλογὴν τῶν ὑποθέσεων, καὶ δυνάμεις οὐ πολύ τι διαφερούσας ἔσχον ἀλλήλων, οἱ μὲν τὰς Ἑλληνικὰς ἀναγράφοντες ἱστορίας, οἱ δὲ τὰς βαρβαρικὰς, καὶ αὐτὰς δὲ ταύτας οὐ συνάπτοντες ἀλλήλαις, ἀλλὰ καθ' ἔθνη καὶ κατὰ πόλεις διαιροῦντες καὶ χωρὶς ἀλλήλων ἐκφέροντες, ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν φυλάττοντες σκοπόν, ὅσαι διεσώζοντο παρὰ τοῖς ἐπιχωρίοις μνῆμαι κατὰ ἔθνη καὶ κατὰ πόλεις, εἴτ' ἐν ἱεροῖς εἴτ' ἐν βεβήλοις ἀποκείμεναι, γραφαῖς ταύτας εἰς τὴν κοινὴν ἁπάντων γνῶσιν ἐξενεγκεῖν, οἵας παρέλαβον, μήτε προστιθέντες αὐταῖς τι μήτ' ἀφαιροῦντες. κ. τ. λ. **Horum in numerum referendi sunt Hecataeus et Dionysius, uterque Milesius, Charon Lampsacenus, Xanthus Lydus, Hellanicus Lesbius, Pherecydes Lerius, qui prima artis historicae initia a poesi profecta et per Cylicos deinceps poetas ad rerum gestarum enarrationem paullatim delapsa ita exercebant, ut, quamvis etiamtum poetarum vestigiis et ipsi plerique omnes ingrediendo fabulas plurimas easque nonnunquam ineptissimas antiquitus ore tantum traditas literis mandasse essent contenti neque quidquam fere nisi mythos altius et severius soluta oratione persequerentur, tamen materiam huius generis rerum et copiam uberrimam secundum urbes et populos descriptam congererent, unde qui deinceps easdem suscepissent partes rerum scriptores largiter haberent quod sumerent, et ipsi quo quisque eorum acrius et subtilius, quid verum esset quid minus videre possent, eo peritius ac prudentius easdem res de integro retractantes explicarent. Quod meum iudicium ut de universo eorum genere verum est, non ita de singulis idem factum velim. Sed quid de eorum unoquoque sentiam quum hic accuratius exponere non liceat, Hecataeo, quem equidem unum eorum omnium principem duco, paululum certe institisse non alienum ab eo fore puto, quod probandum nobis proposuimus, id est, ut quid in explicandi res gestas arte Thucydides effecerit, appareat. Hecataeum Hegesandri filium[20]), quem Herodotus (II, 143. V, 36, 125) ita, ut Hellanicum Thucydides (I, 97) carpit, non minus propter summam generis nobilitatem (Herod. II, 143) et opes haud exiguas, quam propter praeclaram eruditionis et prudentiae civilis gloriam cum apud cives suos summa floruisse dignitate auctoritateque[21]) tum**

[20]) Clinton fast. hell. ed. Krüger p. 382. — Ioh. Matth. Schultz: Apparatus ad Annall. Crit. rerr. graec. specim. II, p. 21. — Creuzer Frgm. vett. historr. p. 4. Quo anno natus sit Hecataeus, quamquam nullum testimonium exstat, haud ita multum a vero Larcherus abesse videtur, qui cum lucem conspexisse fere Ol. 57, $^3/_4$ putet, quem eundem annum et Schultz l. c. statuit et Creuzer. Ceterum conf. Suidam s. Ἑκαταῖος.

[21]) Herod. V, 36, 124. natus circa quinquaginta annos fuisse videtur Hecataeus, ubi hanc quam ab eo dictam affert Herodotus sententiam tulit. conf. inprimis fragmen-

in tota antiquitate magni esse aestimatum et ex eo patet, quod ab Aristagora Ioniae defectionem a Persis meditante in Milesiorum deliberationem adhibitus longe omnium[22]) sententiam dixit prudentissimam et ex iis, quas summas ei scriptores veteres habent, laudibus compertum habemus. Huc accedit id, quod Aelianus Varr. Historr. lib. XIII. cp. 20 (cf. Perizon. ad l. l.) memoriae prodidit: Ἀνὴρ Μεγαλοπολίτης ἐξ Ἀρκαδίας, Κερκιδᾶς ὄνομα, ἀποθνήσκων ἔλεγε πρὸς τοὺς οἰκείους, ἐνθυμούμενος ἡδέως ἀπολύεσθαι τοῦ ζῆν. δι' ἐλπίδος γὰρ ἔχειν συγγενέσθαι τῶν μὲν σοφῶν Πυθαγόρᾳ, τῶν δὲ ἱστορικῶν Ἑκαταίῳ, τῶν δὲ μουσικῶν Ὀλύμπῳ, τῶν δὲ ποιητῶν Ὁμήρῳ. καὶ ἐπὶ τούτοις, ὡς λόγος, τὴν ψυχὴν ἀπέλιπεν. Iam vero longinqua vetustatis res gestas atque orbis terrarum naturam cognoscendi studio impulsum itinera fecisse Hecataeum nec non uberrimum ex hac re eruditionis fructum cepisse non magis ex Herodoto (II, 143. VI, 137) colligimus, quam ex ea, qua nostrum et Agathemeros et Agatharchides ornant laude comperimus[23]). Nam alter lib. I. init. Ἀναξίμανδρος, inquit, ὁ Μιλήσιος, ἀκουστὴς Θάλεω πρῶτος ἐτόλμησε τὴν οἰκουμένην ἐν πίνακι γράψαι. Μεθ' ὃν Ἑκαταῖος ὁ Μιλήσιος, ἀνὴρ πολυπλανής, διηκρίβωσεν ὥστε θαυμασθῆναι τὸ πρᾶγμα. Ἑλλάνικος γὰρ ὁ Λέσβιος ἀνὴρ πολυΐστωρ ἀπλάστως παρέδωκε τὴν ἱστορίαν. Εἶτα Δαμάστης ὁ Κιττιεὺς τὰ πλεῖστα ἐκ τοῦ Ἑκαταίου μεταγράψας περίπλουν ἔγραψεν. (Hudson vol. II. Agathem.) Agatharchides autem in libro, quem inscripsit: Ἐπιτομὴ τῶν περὶ τῆς Ἐρυθρᾶς θαλάσσης mentionem Hecataei his verbis facit (Hudson vol. I, p. 48 seqq.) τὰ μὲν πρὸς ἑσπέραν ἐξείργασται Λύκος τε καὶ Τίμαιος, τὰ δὲ πρὸς ἀνατολὰς Ἑκαταῖος καὶ Βάσιλις.

tum illud Diodori, quod exstat in libro, qui inscribitur: Excerpta Vatican. in Script. veterr. nov. collect. ed. Mai tom. II, p. 38.

22) In quo concilio quum omnes Milesii in Aristagorae sententiam irent atque alius alium in defectionis societatem impellerent, unus Hecataeus gravissimis de causis ut ab incepto desisterent, ingenue hortatus est. Sed audiamus de ea re Herodotum V, 36. οἱ μὲν δὴ ἄλλοι πάντες γνώμην κατὰ τὠυτὸ ἐξεφέροντο, κελεύοντες ἀπίστασθαι· Ἑκαταῖος δὲ ὁ λογοποιὸς πρῶτα μὲν οὐκ ἔα πόλεμον βασιλέϊ τῶν Περσέων ἀναιρέεσθαι, καταλέγων τά τε ἔθνεα πάντα τῶν ἦρχε Δαρεῖος καὶ τὴν δύναμιν αὐτοῦ, ἐπείτε δὲ οὐκ ἔπειθε, δεύτερα συνεβούλευε ποιέειν ὅκως ναυκρατέες τῆς θαλάσσης ἔσονται κ. τ. λ.

23) Agatharchides sive Agatharchus, Grammaticus et Rhetor sub Ptolemaeo Philometor. multos geographicos libros composuit, quos Photius laudat bibl. cod. CCXIII. Plene et diligenter de eodem disseruit Io. Hudson: Geographiae veteris scriptorr. graec. minorr. vol. I. dissertat. tertia p. 67 seqq. De Agathemero conf. eundem virum doctissim. l. l. vol. II. p. 135 dissertat. quinta et vol. I. dissert. septim. §. 9.

Verum enim vero ex ipsius Hecataei verbis, quae apud alios scriptores exstant, id, si quid video, quam maxime effici videtur, ut nos si dilucidam ac definitam, quam exhibet scriptor nonnullarum regionum notationem accurate reputaverimus, non possimus, quin ipsum eas regiones, urbes, populos visisse pro certo putemus. Quae quum ita sint vix dubitaverim, quin Ponti litora (Stephan. Byzant. Κῶλοι et apud eundem Μόσχοι. apud Schol. Apollon. Rhod. IV, 284) Aegyptum, Oenotriam adierit Hecataeus, quibus si longiori esse mihi hoc loco liceret, etiam alias terras addere in promptu esset. Libros, quibus ut largam eruditionis suae copiam memoriae prodidit, ita dicendi ubertatem quandam ostendit, duos condidisse videtur, alterum inscriptum: Περίοδος γῆς, alterum Γενεαλογίαι [24]). At iam Alexandrinorum aetate non defuisse scio, qui Περιήγησιν, quae Hecataei esse usque ad illud tempus habita esset, ab ipso vere profectam esse negarent. Athen. II. p. 70 ed. Schweigh. Ἑκαταῖος δ' ὁ Μιλήσιος ἐν Ἀσίας περιηγήσει, εἰ γνήσιον τοῦ συγγραφέως τὸ βιβλίον (Καλλίμαχος γὰρ αὐτὸ ἀναγράφει Νησιώτου) ὅστις οὖν ἐστὶν ὁ ποιήσας, λέγει οὕτω „περὶ τὴν Ὑρκανίην θάλασσαν καλευμένην οὔρεα ὑψηλὰ καὶ δασέα ὕλησι, ἐπὶ δὲ τοῖσιν οὔρεσιν ἄκανθα κυνάρα“ (conf. librum Ukertii egregium et in doctrinae et in ingenii laude, qui inscribitur: Untersuchungen über die Geographie des Hecataeus und Damastes Wimar. 1814). De qua Callimachi dubitatione quoniam qui Hecataei fragmenta collegit Klausenius non ita, ut ceteroqui solebat, diligenter disseruisse mihi videtur [25]), neque vero ego hoc loco rem ea, quam postulat eius generis quaestio, diligentia aut altius repetere aut prolixe expedire possum, pauca quae meditor propediem in lucem emittere in animo est. Iam ego quidem quamquam Hecataeum aliquanto prudentius reliquis logographis omnibus res, quas scriberet, perscrutatum esse atque adeo, quum pro eo quantum illius aetatis homines iudicio valebant, causas rerum ac rationes satis acriter intelligere studeret, creticam aliquam artem ad res gestas scribendas adhibuisse minime ignoro, tamen in eorum sententiam ire non possum, qui quum insulsum illud quidem, quo ceteri uterentur, rerum scribendarum genus, multis locis Hecataeum dereliquisse vidissent atque iidem id praecipue respicerent, quod apud Demetrium de elocut. §. 12 noster de sua ipse historiae instituendae ratione speciosius quam verius profitens: τὰ δὲ γράφω, inquit, ὥς μοι ἀληθέα δοκέει εἶναι· οἱ γὰρ Ἑλλήνων λόγοι

[24]) Hecataei Milesii fragmenta ed. R. H. Klausenius. Berol. 1831. — Fragmenta Historicorum Graecorum ed. Car. et Theod. Mülleri. Parisiis MDCCCXLI.

[25]) Idem quod ego hoc de nomine libri Klausen. Carolum et Theodorum Mülleros vv. dd. iudicasse video: Fragmentt. Historricc. Graecorr. p. XIII. „Vellem paullo accuratius in hanc rem inquisivisset Klausenius etc.“

πολλοί τε καὶ γελοῖοι, ὡς ἐμοὶ φαίνονται, εἰσίν" propterea eius animum ab illius saeculi superstitionibus omni ex parte liberum fuisse opinati sunt. Etenim Hecataeus ut veriores de arte historica in animo informatas habuerit notiones tantum abest, ut ad eas, quas apud id aetatis homines graecos de divinis humanisque rebus valuisse cognoscimus, opiniones [26]) et ipse adhaesisse atque etiam ita de Homero cogitasse videatur, ut de multis, in quas per libri sui ordinem devenisset rebus sive veris sive fictis idem cum poeta illo sentiens, in suos eas commentarios admittere nihil dubitaret. Sed de genere dicendi, de quo propter reliquiarum paucitatem et iniquam conditionem nec bene nec male nobis existimare licet, haud spernendam Hermogenes fert sententiam II, 12. Ἑκαταῖος δὲ ὁ Μιλήσιος — καθαρὸς μέν ἐστι καὶ σαφὴς, ἐν δέ τισι καὶ ἡδὺς οὐ μετρίως κτλ. et idem de Ideis II. p. 513 de Hecataei dialecto: τῇ διαλέκτῳ δὲ, inquit, ἀκράτῳ Ἰάδι, καὶ οὐ μεμιγμένῃ χρησάμενος οὐδὲ κατὰ τὸν Ἡρόδοτον ποικίλῃ ἧττόν ἐστιν ἕνεκά γε λέξεως ποιητικός [27]).

Sed hos priscos historiae antistites quamvis maxime laudabili licet animi magnitudine et contentione universae rerum scribendarum artis viam aperientes suo ipsos exemplo multa hominum graecorum studia, ut et ipsi historiam tractarent, excitasse non possimus non agnoscere, in singulis tamen eius artis partibus exercendis et colendis ita versatos esse videmus, ut quantum plurimum ipsis ad perfectam de arte, quam exercebant, scientiam defuisse constet. Tanto magis Thucydidem admiramur, qui quum Hecataeo quinquaginta circiter annis minor, Hellanico aetate suppar esset [28]) ita perfecit omnibusque numeris id artificium absolvit, ut eum omnium omnino historicorum optimo iure palmarium habeas. Equidem facere non possum, quominus istum grandem

[26]) Optime de huiusmodi generis opinionibus Graecorum disseruit G. W. Nitzschius libro aureolo: Die Heldensage der Griechen nach ihrer nationalen Geltung. Kiel 1841. p. 63: „Wir sehen, Hecataeus hatte im Ganzen den völligsten Sagenglauben, und erzählte mit der grössten Beflissenheit gar vieles von dem Heldenleben des Herakles, von der Fahrt der Argonauten u. A. dergleichen."

[27]) Creuzer frgmt. historr. p. 18. — Dionys. Halic. De Thucydid. Iudic. p. 126 seqq. ed. Krüg. Οἱ δὲ πρὸ τοῦ Πελοποννησιακοῦ γενόμενοι πολέμου καὶ μέχρι τῆς Θουκυδίδου παρεκτείναντες ἡλικίας ὁμοίας ἔσχον ἅπαντες ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ τὰς προαιρέσεις, οἵ τε τὴν Ἰάδα προελόμενοι διάλεκτον, τήν τε τοῖς τότε χρόνοις μάλιστ' ἀνθοῦσαν κτλ.

[28]) Clinton fast. hellen. ed. Krüg. p. 383: et eiusdem viri doctissimi librum, qui est de Thucydidis vita.

rerum gestarum pronuntiatorem suspiciam et eundem suae artis summum praedicem magistrum, cum quo si ceteros historicos contuleris vituperationi tam obnoxii videbuntur, quam longe ab istius vestigiis illustribus illis quidem aberraverint. Quod iudicium ne cui cupidius ac temerarius quam prudentius a me factum videatur satis habeo de iis uno verbo monuisse, quos opus, quod usque ad eum, quem sibi ipsi proposuerat Thucydides, sive praematura interceptus morte sive casu nescio quo impeditus non protulisset finem, conficiendum sibi sumpsisse accepimus[29]. Cratippum dico, Theopompum, Xenophontem. Cratippi literarum etsi nullae prorsus reliquiae ad nostram usque cognitionem manserunt, immo vero iam antiquissimis fere temporibus iste liber, qui Thucydidium opus excepit, interiisse videtur, tamen multo arte historica Thucydide inferiorem eum fuisse pro certo offirmari potest[30]. De Theopompo Chio, qui item ac Ephorus ex Isocratis disciplina erat profectus (Dionys. Halicarn. Epist. ad Pompei. VI. init. p.

[29]) Marcellin. vit Thucydidis §. 45.

[30]) Thucydidis historiam tantum ad vicesimum primum usque belli Peloponnesiaci annum progressam Cratippum perficiendam suscepisse Dionysius Halicarn. memoriae prodidit: De Thucydide Iudic. cp. XVI. p. 102 ed. Krüg. — ἔοικεν (scl. ὁ Θουκυδίδης) ἀτελῆ τὴν ἱστορίαν καταλιπεῖν, ὡς καὶ Κράτιππος ὁ συνακμάσας αὐτῷ καὶ τὰ παραλειφθέντα ὑπ αὐτοῦ συναγαγὼν γέγραφεν. cf. Krüger. ad l. l. qui ut solet, subtiliter de Kratippo disputat et eiusdem in eodem libro commentatt. cap. prim. p. 261. Plutarch.: bellone an pace clariorr. fuerint Athen. init. p. 360 ed. Reisk. Usque ad ea tempora Cratippus historiam protulisse videtur, quibus Conon valde attenuatas Atheniensium vires aliquantum erexit. Ceterum quam negligenter et temerarie Dionys. Halic. de Thucydidii operis consilio iudicando ac de conditione, quam Thucydides in libro suo conscribendo secutus videatur, egerit, iam inde patet, quod auctorem ideo vituperandum censuit, quod res belli peloponnes. non ad finem sed tantum usque ad pugnam ad Cynosema commissam exposuisset. Epist. ad Pompei. c. III. καίπερ γὰρ λέγων, ὅτι παντὶ τῷ πολέμῳ παρεγένετο καὶ πάντα δηλώσειν ὑποσχόμενος, εἰς τὴν ναυμαχίαν τελευτᾷ τὴν περὶ Κυνὸς σῆμα γεγενημένην Ἀθηναίων καὶ Πελοπ. κτλ. Qui si id quod Thuc. V, 26 de suo ipse consilio profitetur, secum reputasset scriptorem non ita reprehendisset. De Cratippo autem Roschero assentio, cuius sententia haec est: Leben und Werk des Thukydides p. 149: „Kratippus erzählt freilich, die vielen Reden hätten keinen Beifall gefunden und aus diesem Grunde fehlten sie im letzten Buche. Ein schöner Fortsetzer des Thukydides, der solche Gründe aushecken konnte“.

50 ed. Krüg. Θεόπομπος δ' ὁ Χῖος, ἐπιφανέστατος πάντων Ἰσοκράτους μαθητῶν γενόμενος κτλ.) audiamus Polybium: Ἐκ τῆς Η, 11 (ed. Imm. Bekkeri p. 575): μάλιστα δ' ἄν τις ἐπιτιμήσειε περὶ τοῦτο τὸ μέρος *) Θεοπόμπῳ, ὅς γ' ἐν ἀρχῇ τῆς Φιλίππου συντάξεως δι' αὐτὸ μάλιστα παρορμηθῆναι φήσας πρὸς τὴν ἐπιβολὴν τῆς πραγματείας διὰ τὸ μηδέποτε τὴν Εὐρώπην ἐνηνοχέναι τοιοῦτον ἄνδρα τὸ παράπαν οἷον τὸν Ἀμύντου Φίλιππον, μετὰ ταῦτα παρὰ πόδας, ἔν τε τῷ προοιμίῳ καὶ παρ' ὅλην δὲ τὴν ἱστορίαν, ἀκρατέστατον μὲν αὐτὸν ἀποδείκνυσι κτλ. et apud eundem Polybium cp. 13. καὶ μὴν οὐδὲ περὶ τὰς ὁλοσχερεῖς διαλήψεις οὐδεὶς ἂν εὐδοκιμήσειε τῷ προειρημένῳ συγγραφεῖ, ὅς γε ἐπιβαλόμενος γράφειν τὰς Ἑλληνικὰς πράξεις ἀφ' ὧν Θουκυδίδης ἀπέλιπεν, καὶ συνεγγίσας τοῖς Λευκτρικοῖς καιροῖς — τὴν μὲν Ἑλλάδα μεταξὺ καὶ τὰς ταύτης ἐπιβολὰς ἀπέῤῥιψεν κτλ. Lucian. de hist. conscrib. cp. LIX. τὴν αὐτὴν Θεοπόμπῳ αἰτίαν ἕξεις, φιλαπεχθημόνως κατηγοροῦντι τῶν πλείστων καὶ διατριβὴν ποιουμένῳ τὸ πρᾶγμα, ὡς κατηγορεῖν μᾶλλον ἢ ἱστορεῖν τὰ πεπραγμένα. His locis prolatis eum etiam addere placet, qui est de eodem scriptore apud Quintil. instit. orat. X, 1. Theopompus ut in historia praedictis (Herodoto et Thucydide) minor ita oratori magis similis, ut qui antequam ad hoc opus sollicitatus, diu fuerit orator. — Enimvero qui ex oratore factus esset historicus, quin is eadem artis oratoriae praecepta, quibus abundabat et ad historiae artem transferret, vix dubitari posset etiamsi istud iudicium apud Quintilianum non legeremus. **) Denique de Xenophonte, qui partes a Thucydide relictas suscepit (Marcell. vit. Thuc. §. 45. τὰ δὲ τῶν ἄλλων ἓξ ἐτῶν πράγματα ἀναπληροῖ ὅ τε Θεόπομπος καὶ ὁ Ξενοφῶν, οἷς συνάπτει τὴν Ἑλληνικὴν ἱστορίαν) cf. Niebuhr scriptt. minorr. p. 464. et Volkmar de Xenoph. Hellen. p. 14 seqq.

Quid vero? Non defuerunt et satis multi ***) a grammaticis perhibentur, qui et ipsi res gestas qualicunque modo et consilio conscribentes quum se totos in Thucy-

*) id est, quod paulo superius dixit: ἐγὼ δ' οὔτε λοιδορεῖν ψευδῶς φημὶ δεῖν τοὺς μονάρχους οὔτ' εγκωμιάζειν, ὃ πολλοῖς ἤδη συμβέβηκεν, τὸν ἀκόλουθον δὲ τοῖς προγεγραμμένοις ἀεὶ καὶ τὸν πρέποντα ταῖς ἑκάστων προαιρέσεσι λόγον ἐφαρμόζειν.

**) Ceterum de Theopompo scriptisque eius confer sis Clinton Fast. hellen. ed. Krüg. p. 385 seqq.

***) Folardus vol. 1. p. 208. Polybium in eorum numero habendum putavit, qui Thucydidem imitati sunt idque propter aliquam, quam animadvertisse sibi videtur, similitudinem inter oppugnationem Deprani et Syracusarum; ego vero utrumque quam potest maxime inter se distare existimo. De Philisto Quintil. X, 1: Philistus quoque, inquit, meretur, qui turbae quamvis bonorum post hos (Thucydidem, Herodotum, Theopompum) auctorum eximatur, imitator Thucydidis, et ut multo infirmior, ita aliquatenus lucidior.

didis imitationem contulissent, adeo inepti essent, ut quem prava aemulatione et vitiosa certantes vincere non potuissent, ei obtrectare atque eius artem historicam, consilium, studium vituperare quam laudibus, quibus dignus est Thucydides, extollere mallent. Sed quod Cicero scripsit non esse qui Scipionis ingenium imitando assequi possent, Officc. III, 1, id Ciceronis dictum iis vel maxime convenit qui Thucydidium ingenium quum non haberent iidem eius artem referre suis scriptis studerent. His de aemulatoribus verissime Lucian. de hist. conscrib. cp. XV. καὶ γὰρ αὖ inquit καὶ τοῦτο ἐπιεικῶς πολὺ νῦν ἐστὶ, τὸ οἴεσθαι τοῦτ εἶναι τοῖς Θουκυδίδου ἐοικότα λέγειν, εἰ ὀλίγον ἐντρέψας τὰ αὐτοῦ ἐκείνου λέγοι τις μικρὰ κἀκεῖνα οὐδ' ἀκούειν ἡδέα (secutus sum in his proferendis coniecturam Hermanni, quum extrema verba, quae quidem codd. exhibent, quam maxime vitiata sint). Optime enim Dionys. Halic. art. rhetor. X. 19. p. 394 ed. Reiske μίμησις γὰρ, inquit, οὐ χρῆσίς ἐστι τῶν διανοημάτων, ἀλλ' ἡ ὁμολογία τῶν καίρων, ἔντεχνος μεταχείρησις. Et ipse Cicero aemulationem pravam illam quidem, quae non cerneretur nisi in verbis, vituperat Orat. 9. „Thucydidis nemo neque verborum neque sententiarum gravitatem imitatur, sed quum mutila quaedam et hiantia locuti sunt, quae vel sine magistro facere potuerunt, germanos se putant esse Thucydidas.“ Verum enim vero ex illis omnibus nemo unus est, qui in Thucydidis gloriae societatem admittatur. Atque ego neminem fore arbitror, qui, quum Thucydidem non membratim misereque mutilatum, hinc illinc tanquam flosculos carpens ac delibans, sed integrum ut par est ab initio usque ad finem saepe et diligenter pertractaverit, accurate cognita arte illius excussisque etiam iis multis et magnis virtutibus, quae primum fere adspectum fugiant, non suspiciat acerrimum eius ingenium aeque ac summam artis historicae peritiam, qua res per illos belli peloponnesiaci XXI annos gestas luculentissime explicavit et humanarum rerum naturam ac vicissitudines ita delineavit, ut cuiuscunque reipublicae, totius generis humani fortunam cognoscere nobis videamur [30]). Nec mira cuiquam illa absolutio perfectioque videri potest; neque enim nudus ab ulla parte iste aut inermis in historiae stadium descenderat, immo enimvero iis opibus multis optime instructus, quas vix in quo-

[30]) Recte Roscherus in libro supra l. p. 21. „Wer würde sich im Thukydides für das Hinundherreden einiger längst verstorbener Marktredner und Hauptleute interessiren, wenn es diesem Künstler nicht gelungen wäre, das Hauptsächlichste der ganzen Menschheit, wie es zu allen Zeiten unter allen Völkern und in allen Herzen wiederkehrt, in sein Gemälde zusammenzudrängen? Jeder Mensch — jeder gebildete Mensch trägt einen Kleon und einen Perikles, einen Nikias und einen Alkibiades — in seiner eignen Seele beisammen.“

quam nisi perraro tot tantasque ita una coniunctas deprehendas. Etenim ad indicii summum acumen, quo quantum valuerit ex omni eius libro apparet, et ad prudentiam singularem cuncta illa externa accesserunt subsidia, quae si res gestas sciscitandi et scribendi studio et industriae suggeruntur, quantum potest maxime institutum opus adiuvant[31]). Marcell. vit. Thuc. §. 20 τοῦτον δὲ τὸν πλοῦτον - οὐκ εἰς τρυφὴν ἀνήλισκεν, ἀλλὰ πρὸ τοῦ Πελοποννησιακοῦ πολέμου τὸν πόλεμον αἰσθηθεὶς κινεῖσθαι μέλλοντα, προελόμενος συγγράψαι αὐτόν, παρεῖχε πολλὰ τοῖς Ἀθηναίων στρατιώταις καὶ τοῖς Λακεδαιμονίων καὶ πολλοῖς ἄλλοις, ἵνα ἀπαγγέλλοιεν αὐτῷ βουλομένῳ συγγράφειν τὰ γινόμενα κατὰ καιρὸν καὶ λεγόμενα ἐν αὐτῷ τῷ πολέμῳ. et: πᾶσι παρεῖχεν, ἐκ τῆς τῶν πολλῶν συμφωνίας θηρώμενος τὴν τῆς ἀληθείας κατάληψιν. Quae quum ita sint Thucydides, sicut ipse totam per vitam (Thuc. V, 26. I, 21. 22. 23) summum studium, operam, ingenii summam alacritatem, cogitationem in proposito severe peragendo fixit, item librum, quem scripsit, destinavit iis tantum, qui et ipsi quum maturitatem indicii sibi haud mediocrem parassent (I, 22) tum acerrimo quid in quaque re verum sincerumque esset perspiciendi studio essent incensi. Quapropter non mirandum est, quod nonnunquam parva posterorum et ieiuna expertus ille ingenia saepenumero reprehensus, saepius parum est intellectus[32]). Et vero muneris sui partes ita explevit, ut a temeraria illa laudandi reprehendive cupiditate aeque alienus rerum vicissitudines ex hominum ingenii dissimilitudine multo quam quisquam post eum evidentius explicaret[33]). Iam ab ipso statim initio belli (Thuc. I, 1. Marcell. vit. Thuc. §. 47), quod et diuturnum et ab omni parte gravissimum fore in animo spectaret, consilium scribendi amplexus et in isto suo opere monumentum in omnium saeculorum memoriam sese conditurum sperans, summum studium in res ex verissimis fontibus hauriendas contulit (cf. Marc. l. s. l.), neque quidquam habebat antiquius quam ut in quaque re, quam aliis narrantibus acceptam referret, quid veri quid depravati esset circumspiceret. Quaecunque quidem in arte ac disciplina eam mentis vim atque id ingenii acumen, quo qui utitur quavis in re quid verum sit indagare studeat, subtiliter indicet, recte sentiat, pluri-

31) de Thucydidis divitiis cf. K. W. Krüger vit. Thuc. p. 42 et Thuc. V, 105.

32) Acerrimum ut postea demonstrabimus eumque iniustissimum Thucydides adversarium habet Dionysium Halicarnassensem. E Suida accepimus Claudium Didymum scripsisse περὶ τῶν ἡμαρτημένων παρὰ τὴν ἀναλογίαν Θουκυδίδῃ.

33) C. Odfrd. Müller l. l. p. 354. „Thukydides lässt nur in seltenen Fällen, wo er selbst seinen Zweifel kund gibt, über die Motive der handelnden Personen im Dunkel. — Es ist, wenn man Thukydides lies't, als wenn nicht Thukydides, sondern die Geschichte selbst spräche."

mum valere nemo nescit; qua propter a iustissimo quoque aestimatore et artis historicae peritissimo haec rerum penitus cognoscendarum et ex ipsis intimis causis suis repetendarum mentis facultas atque exercitatio, quam optimo iure criticam dicas, quibus fieri potest summis laudibus est praedicata. Sed criticum munus, quo si quis rerum scriptor susceptae provinciae satisfacere recteque partes suas explere vult, nequaquam supersedeat, non magis eo referendum est, ut in ingenti rerum undequaque confluentium copia quid verum sit, quid secus exactissimo examinet iudicio, perspiciat, agnoscat, quam in eo cernitur, quod inter scribendum historicum semper moneat, id est, ut certis et definitis operi terminis positis, nullas res quamvis sint et verissimae et certissimae, nisi quae ad argumentum, quod sibi penitus explicandum sumpserit, aliquid faciant. Sic, ut eo, unde profecti sumus, revertamur, Thucydides leviter tantum omnibus rebus tactis aut etiam utique relictis et omissis, in quibus nulla esset vis ad illud bellum in utramque partem per varias vicissitudines explicandum atque evolvendum, eas potissimum singulari cum diligentia et perspicuitate enarrat, quae etsi parvae fere nonnunquam prima specie videntur, aliquid momenti ad belli inclinationes haberent[34]). Unde factum est, ut perpetuitas, qua bellum inde ab initio explicat, nullis aut saltem perpaucis digressionibus sit interpellata (I, 128—138. I, 126. II, 29. II, 15, 102. VI, 54—59); quo quidem rerum scribendarum instituto vel maxime a reliquorum consuetudine rerum scriptorum quum superiorum tum posteriorum recedit, quos omnes cognoscimus relicto saepe numero rerum propositarum ordine in diverticula aberrasse sive quo, occasione oblata, insolitarum ac mirabilium rerum narratiunculis delectarent lectorem sive docerent de populorum moribus aliisve id genus rebus exponentes. Res autem, quas in historiae suae partem trahendas censuit Thucydides, eum in modum explicavit ut non satis haberet, si historia sua externam rerum speciem referret, et ipsa tamquam rerum gestarum speculum esse videretur, id quod historico artificio est indignum, sed id et studuit et effecit, ut si quis librum legerit non tam res gestas legisse sibi videatur, quam qui fuerint per illam aetatem hominum mores, quae voluntates, quae ingenii humani vicissitudines et incrementa certo compererit[35]). Quodsi

[34]) Itaque non mirum est, quod multarum rerum, quas apud Aristopharem exagitatas reperimus, ne minimam quidem facit mentionem Thucydides.

[35]) Marcell. vit. Thuc. §. 50 δεινὸς ἠθογραφῆσαι §. 51 fin. ἠθῶν μιμητὴς καὶ ἄριστος διαγραφεύς. At Dionysius Halic. p. 776 Thucydidem τὰ πάθη, Herodotum τὰ ἤθη subtilius depinxisse vult. — K. Odfrd. Müller l. l. p. 344. „Während die Frühern davon ausgingen, ein in die Augen fallendes Sinnliche zu schildern — — — ist es bei Thukydides die menschliche Handlung in ihrer Entwicklung aus

Thucydides in quavis rerum mutatione simul causam et principium et quasi fontem, unde manarent et crescerent ipsae res, investigavit et, quoad eius facere posset, certissime cognovit, fieri non potuit, quin et idem humanae mentis vires, agendi consilia non dico eorum tantum, quorum res enarrat, sed omnis omnino humani generis penitus perspecta haberet. Est enim quaedam similitudo quidem, qua omnes homines ita continentur, ut hominem qui cogitet non possit, quin illos mores, studia, cupiditates una concipiat et contra qui tollat illa, nullum utique hominem relinquat, at simul est tanta dissimilitudo ac varietas, ut recte neges in omni hac hominum universitate quemquam unum alteri ex omnibus partibus parem reperiri. Denique non modo quid singuli homines, ex quorum consilio et potestate res gererentur, sed quid civitates inter se differrent Thucydides et quaesivit et praeclare ita perspexit, ut quid pro sua quaeque indole et conditione aut appeteret aut reiiceret plane videret. Hic locus me commonet, ut orationum, quas scriptor in rerum gestarum narrationis perpetuitate inclusit, mentionem in transcursu certe uno verbo faciam, si quidem de iis ea, qua par est, cura ac diligentia agi non possit, nisi per peculiarem scriptionem. In iis enim ipsis orationibus non minorem scriptor prudentiam, qua in rebus gerendis valebat publicis, quam singularem suam hominum animos et mores depingendi facultatem ostendit [36]).

Nunc ego ante quam rem propositam longius persequar pedem paullum referre non incommodum habeo, ut nonnulla, quae causae opportunitas suadere videtur, de Thucydidis institutione commemoremus, quippe quae, ut in omnibus omnino hominibus magnam ad animum mentemque conformandam vim habet, sic in Thucydide ad singulare, quo natura ipsa erat instructus, ingenii acumen et excitandum et alendum vel plu-

dem Charakter und der Lage des Individuums und ihrer Einwirkung auf den allgemeinen Zustand, welche seine Aufmerksamkeit allein in Anspruch nimmt."

[36]) Hegel. Philosoph. der Gesch. p. 5. „Wären nun solche Reden, wie z. B. die des Perikles, des tiefgebildetsten, echtesten, edelsten Staatsmanns, auch vom Thukydides ausgearbeitet, so sind sie doch dem Perikles nicht fremd." Ego vero illas orationes ad eam sublimitatem incredibilemque animi excelsitatem a Thucydide ipso magnam quidem partem esse perfectas haud dubitanter contenderim ita tamen ut cogitationem eius cui quaeque habita tribuatur, retineat historicus totamque oratoris animi indolem referat cf. Thuc. I, 22. — Deinde idem Hegel. his verbis pergit: „In diesen Reden sprechen diese Menschen die Maxime ihres Volkes, ihrer eignen Persönlichkeit, das Bewustsein ihrer politischen Verhältnisse, wie ihrer sittlichen und geistigen Natur, die Grundsätze ihrer Zwecke und Handlungsweisen aus."

rimum fecisse mihi videatur. Iam ex multis, qui a veteribus grammaticis Thucydidi praeceptores et eloquentiae et philosophiae tribuuntur, philosophum Anaxagoram celeberrimum illum quidem Clazomenium affero et Antiphontem, Sophili filium, Rhamnusium, alterum propter ἀθεότητα patria expulsum, alterum propter optimatium studium, quum Lacedaemonios coniuratione facta, postquam de Atheniensium exercitu in Sicilia ad internecionem deleto nuntius Athenas allatus est, arcessere voluisset, inter illos quadringentos [37]) damnatum. Marcell. vit. Thuc. §. 22 ἤκουσε δὲ διδασκάλων Ἀναξαγόρου μὲν ἐν τοῖς φιλοσόφοις, ὅθεν, φησὶν Ἄντυλλος, καὶ ἄθεος ἠρέμα ἐνομίσθη, τῆς ἐκεῖθεν θεωρίας ἐμφορηθείς, Ἀντιφῶντος δὲ ῥήτορος, δεινοῦ τὴν ῥητορικὴν ἀνδρός κτλ. et Thucydidis vita ab anonymo script. §. 2 [38]). Quantus ingenii splendor, quantaque egregiae Antiphontis eloquentiae gloria inter cives fuerit, iam ex eo colligere poteris, quod eum quum publice ipse diceret, vehementer metuebant verebanturque Athenienses, neque immerito cum propter magnam ingenii vim in orando conspicuam tum propter eximiam prudentiam civilem „Nestoris" nomine ab aequalibus est ornatus. Magister itaque philosophiae contigit Thucydidi idem, qui Pericli. Unde factum est, ut quum Anaxagoram [39]) sicut alios id aetatis philosophos, quod de Diis aliter ac vulgus sentiret, accusatum patriaque expulsum constaret et ipse Thucydides a multis aetate posterioribus in eam suspicionem vocatus sit, ut nullum omnino Deum credidisse putaretur. Et vero eorum imprimis sententia huc referri videtur, qui propterea, quod Thucydides nullo sui libri loco Deorum ita mentionem faciat, ut ipsius sententiam et existimationem de Diis inde pernoscas, ipsum ἄθεον fuisse voluerunt. At rerum gestarum scriptoris non est, quid de Deo divinisque rebus sentiat multis verbis iactare neque hominum opinionem, quamvis ab sua ipsius ratione divinae naturae colendae abhorreat, argumentis multis afferendis convincere. Sed ad hanc de Thucydide suspicionem, quam a multis viris doctis admissam non ignoro, depellendam argumentisque ex ipsius libro sumendis diluendam nunc nec locus mihi nec otium est. De Antiponte, quo eloquentiae magistro Thucydides usus esse fertur non ita pridem C. W. Krügerus v. cl. non modo dubitavit, quin Thu-

[37]) Thuc. VIII, 89—92. Lysias de olea sacr. §. 4. adv. Agorat. §. 7. adv. Eratosth. §. 67. Krüger ad Dionys. comment. p. 384.

[38]) cf. Wertermann v. cl. ad Plut. vitt. X oratt. p. 8.

[39]) Plut. vit. Pericl. c. 32. καὶ ψήφισμα Διοπείθης ἔγραψεν, εἰσαγγέλλεσθαι τοὺς τὰ θεῖα μὴ νομίζοντας ἢ λόγους περὶ τῶν μεταρσίων διδάσκοντας, ἀπερειδόμενος εἰς Περικλέα δι' Ἀναξαγόρου ὑπόνοιαν. — Meier et Schoemann Attic. process. p. 303 seqq.

cydidis fuerit magister, sed propter aetatem utriusque viri supparem fieri potuisse, ut Thucydides eius scholam frequentaret, prorsus negavit[40]). Cuius viri et doctrina et ingenio praestantissimi auctoritas quanta sit in his rebus nemo non agnoscit, qui iam primis labris, ut dicunt, Thucydidem gustaverit, et ipse ego magni esse eam aestimandam semper putavi, tamen id illi viro dare non possum ut hanc rem a Caecilio Calactino aliis plane fictam habeam et argumenta ea, quae ex ipsis Thucydidis et Antiphontis scriptis repetita similitudinem quandam et necessitudinem incredibilem utriusque viri et ingenii et orationis mihi probent abiiciam (Plut. vitt. X oratt. 309 E. ed. Westerm. p. 26 et p. 8 ubi docte Westerm. de illo loco vitiato disputat)[41]). At vero quaerat fortasse quis, quae tandem et unde habes ista tua argumenta, quae tibi firma neque ullo modo refellenda videantur. Nae illae quidem orationes, quae sub Antiphontis nomine circumferuntur tibi videantur genuinae; aliis non item! Multi profecto haud mediocris ingenii iique doctissimi viri et fuerunt et sunt, qui quas Antiphontis tres tetralogias totidemque orationes habere nobis videmur, eas si non omnes at plures subditicias habeant[42]). Quorum iudicium quin ad sententiam me meam permoveat commutandam multae sunt causae, quas si hoc loco proferre et tam alte, quam res postulat, expedire vellem, longius a proposito argumento recedere me oporteret. Equidem qui Antiphonteas oratio-

[40]) Antiphontem scholam Athenis aperuisse constat. Post eum et Gorgiam tantopere inter Athenienses eloquentiae studium exarsit, ut nemo fere iuvenis elegans esse videretur, nisi qui rhetoribus scholisque eorum operam navasset. Nam universa illarum, quas rhetores et princeps eorum Antiphon. Athenis aperuerant, scholarum constitutio ad ipsius aetatis naturam ac mores mirum quantum conveniebat, ut eo cupidius et adolescentes et iuvenes nobiles ad eas confluerent, quo magis ipsis erat persuasum, eas ibi res doceri, quae tum, cives cum forent, sibi utilissimae ad publica negotia bene agenda futurae essent. Idem Antiphon artem oratoriam scripsit, cuius aliquot reliquiae exstant apud Apsin. Rhetor. p. 719 Ald. — Suidas s. v. ἅμα, αἰσθέσθαι. Westermann ad Plut. vitt. Xoratt. p. 24 seqq. Krügerus suspicatur narrationem de Antiphontea Thucydidis institutione profectam ortamque esse ex laudibus illis, quibus Thuc. VIII, 68 Antiphontem ornasset.

[41]) de Caecilio Calactino cf. Ant. Westermannum histor. eloq. Graec. §. 88.

[42]) Sluiteri: Lectiones Andocid. p. 100: „primae autem aetatis nulla ad nostram memoriam monumenta servata sunt, nisi Antiphontis aliquot orationes fortasse spurias. Schlosser: univers. Übers. I, 2 p. 261. Westermann hist. eloq. Graec. p. 59 seqq. — Quod mecum consentit is vir, qui nuper Antiphontis orationes optime et explicatas et emendatas edidit, Maetznerum dico, mihi valde acceptum obvenit.

nes saepe multumque eo potissimum consilio legerim, ut quid sit ipsum inter et Thucydidem sermonis et ingenii necessitudinis accurate viderem, quanta possum summa asseveratione affirmo, me sive singularum orationum indolem et compositionem spectantem sive singula verba et singulare construendae orationis genus considerantem, quod in pravae auctoritatis suspicionem vocarem nullum certum vestigium reperisse. Sed idem ego fateor, longe diversam esse harum orationum rationem et causam ab iis, quas revera coram iudicibus habitas scimus. Itaque quum illae quidem certe tetralogiae propter inusitatam argumenti tractationem in vera causa minime dictae videantur, verissimum puto, quod dudum suspicatus sum, mera generis oratorii esse exempla ab ipso Antiphonte in usum scholae scripta [43]).

Sed satis est de hac institutione, quam et propter auctoritatem testium et propter similitudinem in utriusque viri scriptis conspicuam equidem non negandum esse puto. Ex hac disciplina et cogitandi et dicendi profectus Thucydides ab Anaxagora aeque ac Pericles, Magnus Vir, sublimem de rebus divinis humanisque cogitationem suscepit et Antiphonti egregium illud dicendi genus aliqua saltem ex parte debuisse videtur [44]).

Itaque quum libri Thucydidii praestantia iam antiquissimis temporibus esset cognita factum est, ut scriptores aetate posteriores, qui, ut tum erant tempora, res gestas discendo magis, quam, sicut illi prisci fecerant, experiendo cognoscerent, quo quisque erat diligentissimus maximeque curiosus eruendi ex librorum ambiguitate verum, eo pluris Thucydidem haberent, et proinde si et ipsi res, quas easdem ille tractaverat, sive consilio exponerent, sive, occasione data, ad eas devenissent, eius auctoritatem, posthabitis aut etiam neglectis aliis scriptoribus, quam maxime amplexi vestigia securi premerent, neque id sine gravissima causa ac ratione facientes. Iam a Thucydidis aetate usque ad Polybium paulo amplius ducenti numerantur anni, quo brevi temporis spatio mirum est, quot quanta cum industria doctissimi homines suo quisque consilio ac ratione historiam instituerit. Sed ad unum omnes ut erant ab doctrinae ubertate inutili illa quidem et ea plerumque ab historica arte vera alienissima Thucydide instructiores, ita iudicii sanitate et acumine ac sincero artificio historico longe sunt eidem postponendi, quippe qui plerique omnes ex rhetorum scholis ad historiam sese conferre solerent [45]).

[43]) de singulis orationibus, de quibus pluribus hic disputare mihi propter huius libelli angustias disputare non licet, conf. sis Westerm. l. l. §. 41 et additam l.

[44]) Neque vero hoc ita accipiendum est, ut Thucydides Antiphontem referre studuisse putetur, sed F. Aug. Wolfii vera sententia huc referenda est. not. 47.

[45]) Göller de Situ et Origin. Syracus. p. 185. Westermann l. l. §. 50. Enimvero nullus in tota antiquitate rhetor fuit, qui aut plures discipulos aut tam diversi

Cicer. de Orat. II, 22. „Ecce tibi exortus est Isocrates, magister istorum omnium, cuius e ludo, tanquam ex equo Troiano, meri principes exierunt: sed eorum partim in pompa, partim in acie illustres esse voluerunt. Itaque et illi, Theopompi, Ephori, Philisti, Naucratae multique alii naturis differunt, voluntate autem similes sunt et inter sese et magistri.“ Huc accedit, quod maximum est ad huius aetatis et generis historicos recte aestimandos, ut, quo amplior rerum posteritatis memoria dignarum materies accrescebat Macedonico saeculo, eo magis, sicut in omni artium genere solet, historiae scribendae ars elegantiaque decresceret. Ex eorum autem numero, qui post hanc aetatem, cuius ingenium modo non tam explicavimus, quam generatim universeque significavimus, res gestas scripserunt, unum Plutarchum, ut de reliquis taceamus, huc attulisse sufficiat, quo quem saeculo eodem aut elegantiorem aut doctiorem magisque in scriptis priscorum historicorum volutatum dicas profecto non habes. Qui quanti fecerit Thucydidem, quantumque eiusdem auctoritati historicae fideique tribuerit, ut eum prae ceteris ducem sequeretur [46]) cum aliunde constat tum aperte ipse declarat: Alcib. vit. multis locis. Themistocl. vit. cp. XXVII ubi Thucydidem in temporum notatione diligentem dicit; in Niciae vit. Θουκυδίδης, inquit, ἐναργέστατος-γενόμενος ἀμιμήτως ἐξενήνοχε (scl. res gestas Atheniensium et Niciae in Sicilia). Nec silentio hoc loco esse praetereundum puto, quod apud eundem Plutarchum in Demosth. vita de eo oratore relatum invenimus. Demosthenem enim memorat, quo tempore tutores suos fraudulentos in iudicium vocaret summo studio in Thucydidis scriptis versatum fuisse, quem eundem oratorem Lucianus narrat (πρὸς ἀπαίδ.) octies sua manu Thucydidis librum transscripsisse et Zosim. vit. οὕτως λέγεται αὐτὸν ἐκμεμαθηκέναι ὥστε φέρεσθαί τι τοιοῦτον περὶ αὐτοῦ ὅτι ποτὲ καείσης τῆς βιβλιοθήκης ἐν Ἀθήναις καὶ συγκαεισῶν τῶν ἱστοριῶν Θουκυδίδου αὐτὸν μόνον ἀπομνημονεῦσαι πασῶν καὶ

generis habuerit, quam Isocrates. Nam in historico scribendi genere Isocratem imitati sunt magistrum Theopompus, Ephorus, Philistus, quod idem et Cicero l. l. et Dionys. Halicarn. in Dinarch. p. 115 dicit.

[46]) Diodorus si, quam securus solet, tam diligens Thucydidis vestigiis institisset, minus crebro quam fecit a vero aberrasset. Cornel. Nepos (?) quantum fidei Thucydidi habuerit, ex ipsius quidem libro comperimus, sed idem, quod de Diodoro modo monuimus et in ipsum illarum vitarum auctorem cadere videtur. Nam ipse quidem disertis verbis ad Thucydidem multis locis provocat, uti Themist. vit. cp. IX init. „scio plerosque ita scripsisse — sed ego potissimum Thucydidi credo“; attamen longe ab auctoris via deflectit l. l. cp. VII. Neque aliter in Alcib. vit. factum esse cuique qui quod Thucydides de eiusdem viri rebus refert cum ea, quae apud Nepot. exstat, narratione contulerit, sponte apparebit.

οὕτως μεταγραφῆναι ποιῆσαι[47]). Itaque Thucydidis laus et auctoritas quum iam antiquissimis temporibus esset tanta, nescio an neminem subeat mirari, quid fuerit causae, cur nonnulli scriptores doctiores plerumque quam ingeniosiores, longo interiecto tempore quum artis inventionisque sollertiam nimia illa veterum scriptorum imitatio excepisset, de eius vita ac scriptis genereque historico, exponerent[48]). Etenim is est ingenii humani progressus et in cuiusvis generis artificio id natura fert, ut artes ipsae ac disciplinae longe prius consummatae omnibusque numeris sint absolutae, quam eas inveniendi ratio ac leges mente percipiantur. Et vero Graecorum libertate deleta, omnis quum eorum eruditio ad cognitionem totius literarum orbis referri coepisset, multos et doctos viros accepimus et Alexandriae et Pergami de librorum praestantiorum auctoribus diligenter quaesivisse multumque operae et studii in priscis in suo genere egregiis illis scriptis tum explicandis tum emendandis posuisse et imprimis de auctorum vitis exposuisse. Qui in Thucydidem quoque sicut in poetas et oratores ab Aristarcho et Aristophane centum fere et quinquaginta post Alexandri Magni aevum annos factum certo scimus, curas et cogitationes quin contulerint, quis est, qui istorum hominum ingeniis ac studio reputatis, dubitet. At vero Callimachum Cyrenensem, virum universae rei literariae scientia in paucis insignem, a Suida docemur librum inscriptum: πίνακας τῶν ἐν πάσῃ παιδείᾳ διαλαμψάντων καὶ ὧν συνέγραψαν ἐν βιβλίοις κ' καὶ ρ' condidisse[49]). Callimachum in bibliothecarii munere, quo Alexandriae summa cum laude defunctus erat,

[47]) Narratiunculas has veras esse recte negaveris; at vero eas ita acceptas ego velim, ut ex iis ipsis quidem appareat, quid veteres illi de Thucydide senserint. cf. Krüger. vit. Thuc. p. 81 seqq. Arsenius apud Fabric. bibl. graec. vol. I, p. 871. — Agathiae Histor. II. p. 126 ed. Niebuhr. Bonn. 1828. καὶ τοίνυν φασὶν, ὅτι δὴ (de Chosroe sermonem facit scriptor) ὅλον τὸν Σταγειρίτην (Aristotelem) καταπιὼν εἴη μᾶλλον ἢ ὁ ῥήτωρ Παιανιεὺς τὸν Ὀλόρου κτλ. Ceterum F. A. Wolfii verissima sententia his verbis proposita: in magnis, inquit, scriptoribus aliud legit homo ingeniosus, illorum similis, alia serva natio imitatorum. Id docent rara in Demosthene vestigia imitationis Thucydidiae.

[48]) In historicorum graecorum numero Thucydides eo honore ornatus est, ut ipsius nomine non addito, sola συγγραφέως notatione eum possent Lexicographi et Grammatici significare Creuzer Art. histor. p. 179.

[49]) Hermogenes περὶ ἰδ. p. 396. Quintil. instit. orat. X, 1. In primis C. Ferdinandi Rankii egregius liber laudandus: Aristophanis vita in ed. commoedd. Aristoph., quam emittere instituit Bernhardus Thiersch tom. I. cp. IX. p. CIV. — Creuzer Art. hist. p. 225.

ille in aeternam hominum memoriam celeberrimus Eratosthenes excepit, qui mirum est quam acri ingenio, quae decessor iste reliquerat eadem literarum studia retractaverit (cf. Ritschelium v. cl. de biblioth. Alexandr.). Quorum virorum cum nullus liber ad nostram usque memoriam manserit, neque de Thucydidis vita supersint nisi duae commentationes, ex illorum grammaticorum plenioribus atque accuratioribus libris, plurimam certe quidem partem, quae mea est sententia, excerptae et in angustum coactae, altera auctoris, cuius nomen ignotum est, altera ineptissima illa eademque ex diversissimis male congesta partibus, quae sub Marcellini nomine circumfertur, tamen ex ipsius Thucydidis libro ingenium auctoris et mores optime cognoscuntur *). Verum enim vero Dionysio Halicarnassensi, cuius de Thucydide iudicio per literas ab ipso ad Cn. Pompeium, ad Quint. Tuberonem, ad Ammaeum datas perscripto nihil est iniquius, non tantum tribuendum arbitror, ut inde quantum scriptor noster in historia perfecerit, recte aestimare possis (cf. Krüger praefat. ad Dionys. Halic. historiographica). Quamquam eius auctoritas, quippe qui primus criticam, quae tum temporis dicebatur, artem e Graecia Romam translatam successu ibi prosperrimo ut admodum recentem docuisse in scholis, quas aperuerat, videatur, sane multum apud posteros valebat [50]). Huc accedit, quod ut plerique omnes id genus critici solent, Dionysius multo maiore et diligentia et scientia peritiaque quam in artem historicam in dicendi genus quaestiones instituit. Sed ne hoc quidem nomine, quamvis omnes illas rhetoricae artis leges bene perceptas haberet easdemque multa ipse exercitatione calleret sicut callebat, Thucydidis aestimator aequus ac dignus existimari potest, ut qui omnem Thucydidis proprium orationis colorem, quem

*) On doit se souvenir d'ailleurs que l'histoire des écrivains célèbres n'est que celle de leurs pensées et de leur travaux et que cette partie de leur éloge en est la plus essentielle et la plus utile. Analyse de l'espr. des lois par D'Alembert p. 40. Par. Fortin, Masson et Comp.

[50]) Fr. Aug. Wolf Prolegomm. ad Homer. XLVIII seqq. — Dionysius e scholis rhetoricis, quae in Asia Min. floruerant, profectus Ol. CLXXXVII Romam viginti quinque fere annos natus se contulit, ubi antiquas Romanorum res, quarum explicandarum iam tum conceperat consilium, ex fontibus ipsis hauriret. cf. Dionys. Antiqq. I, 7. Photius bibl. cod. 83 p. 65 a. Suidas v. Διονύσιος. Romanos etsi suis ipsorum veteribus scriptoribus recte aestimandis iudicandisve, non tam ex institutione ac disciplina quam ex usu doctos peritosque iam multis annis ante Dionysium aures satis teretes habuisse negari non potest, tamen criticam artem nondum ita factitabant, ut peculiarem eius disciplinam instituerent. Cic. ad Divv. ep. 16. Lessing. opp. omm. tom. X, p. 167.

ex ipso scriptoris ingenio repetere et cognoscere et ponderare debebat, ad sui ipsius pusilli ingenii rationem exigeret neque Thucydidis naturam et ingenium adeo assecutus videatur, ut a scriptore intelligeret verba, quibus ad res gestas explicandas aut ad hominum mores depingendos uteretur non anxie circumspectata aut aegre esse quaesita, sed ipsius eum animi vi ac fervore sponte disertum eam orationem prodidisse, quam tantum abest ut summis artis legibus convenire dicas, ut ipsa per se sua vi ac natura sit regula atque exemplar, unde illius artis leges recte petas. Hunc in modum Dionysius parum recte de Thucydidii operis indole iudicasse semper mihi visus est, quotiescunque scripta eius relegens, quomodo ibi quaeque de Thucydide iudicata sint, spectabam. Dicendi genus Thucydidis si ipsam verborum vim et iuncturam ac gravitatem sententiarum, quas in orationibus in primis exprompsit, consideres, ita ab illa posteriorum Atticorum oratorum castigata eloquentia decedere reperies, ut Phidiae opera sublimitate et grandi simplicitate a nitidis illis Scopae, Praxitelis, Lysippi artificiis erant diversa [51]).

Contra Lucianus, qui et ipse de huius generis argumento si non plene at ingeniose scripsit, ut longe diversam a Dionysio rationem ac viam ingressus est, qua quid Thucydides in historia scribenda consecutus et quo consilio ductus in componendo libro versatus esset intelligeret, ita maiore quidem quam ille criticus laude dignus habendus esse videtur. Namque et de historiae scribendae consilio rationeque multo quam Dionysius verius disputat et subtilius eius studii fines descripsit, quum praecepta ab ipso tradita non tam externam historiae speciem spectent, quam ex rerum tractandarum natura et ipsa scriptoris indole repetita sint. Itaque Thucydidem magni aestimat, magnumque eius, qui neque irae quidquam neque studio tribuat, animum [52]) nullius nisi

[51]) C. Odfr. Müller l. l. p. 352. „Thukydides hat im Wortgebrauch die grösste Schärfe und Präcision, welche alle vorzüglichen Schriftsteller dieser Zeit auszeichnet, wo jedes Wort in allen seinen Theilen in voller Bestimmtheit genommen wird.“ Multa esse, quae contra Thucydidiae orationis simplicitatem repugnare videantur, non ignoro.

[52]) Lucian.: quomodo histor. conscrib. cp. XXXIX. Contrarium est, quod Dionys. de Thucydide iudicat: epist. ad Pompei. cp. III. p. 38 ed. Krüg.: ἡ Θουκυδίδου διάθεσις αὐθέκαστός τις καὶ πικρὰ καὶ τῇ πατρίδι τῆς φυγῆς μνησικακοῦσα. Τὰ μὲν γὰρ ἁμαρτήματα ἐπεξέρχεται καὶ μάλα ακριβῶς κτλ. cf. Krüger p. 255 seqq. Marcellin. vit. Thuc. §. 26. cum Luciano consentit. ἔγραφε δ' οὐδ' οὕτως μνησικακῶν τοῖς Ἀθην. Ceterum Dionysius, a se ipso dissidet, quum de

aeternae laudis studiosum [53]) admiratur, eiusdemque in dicendo gravitatem et perspicuitatem agnoscit [54]), denique summis eum, quibus dignus est, laudibus prosequitur, eumque tamquam exemplar exhibet, quod qui postea ad res scribendas sese collaturi essent, imitando si possent, consequi studere deberent. At quamquam Lucianum aequum de Thucydide et quo erat mentis acumine [55]) argutum iudicium atque ingeniosum fecisse videmus, tamen multa eaque haud levissimi momenti esse quis negaverit, quae ab eo aut nimis breviter perstricta aut etiam plane intacta sint relicta. Neque id mirabuntur, qui istius libelli causa et ratione diligenter cognita Lucianum minime id egisse perspexerint, ut totum hoc argumentum ab omni parte circumspectatum et consideratum accurate copioseque exponeret, sed satis eum habuisse, illorum, qui ea aetate historici speciem prae se ferrent, hominum ineptias non minore salis acerbitate quam festivitate commonstrasse et carpsisse. Verumtamen si in omni scientia ac disciplina, ut vera habeatur disciplina id potissimum spectandum est, ut non aliquot undecunque arreptae artis leges in unum congerantur, sed si ordo quidam et ratio et modus, si denique absolutio quaedam iure requiritur, non profecto etiam in hoc nostro genere totam rem Lucianum confecisse dixeris, aut id praestitisse, quod iustae de hac re disputationi possit satisfacere.

Iam Polybius et Diodorus quid de arte historica sentiant, quaeque praecepta exhibeant si nunc persequi et ad veriores leges exigere vellem angustias huius scriptiunculae longe excederem. Uterque enim simulatque occasio inter scribendum iis obvenit, eam alter altero cupidius et curiosius arripiendo artem, quam optime ipsi callere sibi videantur, docent et praecipiunt perinde ac si et iidem magistri huius generis scholam aperuerint. Restat ut saltem extremis, ut dicitur, digitis Romanos attingam, qui quanto-

Thucydide Iudic. cp. VIII, p. 76 ed. Krüg. ita iudicet: τῆς ἀληθείας - πλείστην ἐποιήσατο πρόνοιαν, οὔτε προστιθεὶς τοῖς πράγμασιν οὐδὲν κτλ.

53) cp. XLII.

54) Neque enim dubitandum arbitror, quin huc sit referendum quod Luc. l. l. cp. LI fin. dicit — cf. Plut. de Glor. Athen. l. supra laud.

55) Propter id ipsum ingenii acumen, quum nonnunquam nimis petulanter sales, quibus omnes superavit, in viros, qui pia veneratione magis, quam cavillatione vel levissima digni viderentur, effudit, multorum iram odiumque in se ipse excitavit. cf. Schol. ad librum de morte peregrini „οἷα ληρεῖς, ὦ κατάρατε, κατὰ τοῦ Σωτῆρος Χριστοῦ, ὅς σε καὶ τούτου ἕνεκεν ἀθανάτῳ παραδώσει κολάσει κτλ. Erasm. epist. V.

pere animum ad literarum graecarum studium adiunxerint et ad Graecos ipsos ut in omni arte ac disciplina sic in historia se totos composuerint non est, quod pluribus moneam. Nam postquam Graecia sub Romanorum potestatem redacta est, nullam appetebant nisi eam laudem Romani, ut si non tantum Graecos ingenio superare possent, quantum bellica virtute et gloria vicissent, at saltem elegantia doctrinaque eos aequasse viderentur. Cic. Tusc. disput. I, 1. in laude suis tribuenda nimius est: meum, inquit, semper iudicium fuit, omnia nostros aut invenisse per se sapientius quam Graecos aut accepta ab illis fecisse meliora (conf. ad h. l. Kühnerum meum); qui idem Cicero Thucydidem dicit Brut. 83 „rerum gestarum pronuntiatorem sincerum et grandem."

Etsi vero non defuerunt aut inter Graecos aut inter Romanos, qui cum de Thucydidis dictione quid ipsis videretur scriberent, tum de ratione, qua historiam et instituerit et absolverit haud ineleganter iudicarent, nemo tamen eorum quos equidem legerim de arte historica quaestionem instituisse videtur eam, qua si minus totam rem ad liquidum perduceret at ita tractaret, ut habeas in quo aliquo modo acquiescere possis. Ex recentioribus multi sunt iique et ab doctrina et ab ingenio spectatissimi viri, qui in Thucydidem illustrandum plurimum studii atque operae conferentes ut iustam eius aestimationem instituerunt veramque cognitionem promoverunt et adhuc promovent, ita de arte historica, quae in eius libro quam maxime cernitur, summa cum laude disseruerunt. Sed tempus me deficeret et, quam meae breviatis causam iam saepius per hanc scriptionem attuli, modum, quem hoc in genere mihi constituendum censui, non servarem, si quae a singulis de singulari Thucydidii libri praestantia sunt dicta, quantum ego quidem cognoverim vellem proferre. Quid multa? — Unde historiae scribendae regulam et leges repetamus, Thucydidis libro egregio nec uberiorem nec certiorem fontem habemus. Etenim ad studium Thucydidis si quis ita se contulerit ut non in sola rerum, de quibus exponit scriptor gestarum cognitione se continens in eas inquisivisse satis habeat, sed id in legendo spectet, ut libri compositionem, quae dicitur, quam potest penitus pernoscat, ei quo diligentius quemadmodum historicus in arte sua versetur, attendit, eo praeclarius apparebit id quod modo dixi, Thucydidem esse optimam disciplinam, unde sibi quisque exemplum artis historicae spectatissimum expetere possit. Historici munus tam varium est, tamque multiplex, ut vix verbis assequare quantum cum laboris studiique et diligentiae tum ingenii et sapientiae prudentiaeque opus sit ei, qui recte cuncta historici officia velit explere: investigandae sunt res abditae, dissipatae vel locorum vel temporum intervallo in unum adspectum colligendae; praeteritae et oblivione obrutae ad veram rationem examinandae, cum praesentibus conferendae, omnium denique rerum

cursus et mutationes perspiciendae. Sunt tamen certae quaedam leges, quas sic historicum sequi necesse est, quaeque ita ad historiae dignitatem pertinent ut neque negligi aut repudiari neque everti et perfringi possint, quin iis sublatis aut minutis et ipsa historiae dignitas tollatur. Sed de iis quantum in me erit alio loco eoque ad has res altius repetendas aptiore agere in animo est.

Iam haec de Thucydide nostro a nobis festinanter conscripta in praesentia sufficiant, quibus si id, quod studuimus, effecerimus, hoc est, ut vos, nostrae scholae alumni, mihi carissimi, ad Thucydidis praestantissimum librum assidue et diligenter legendum promoveremus, me meae operae minime poenitebit, sed amplissimum eius tulisse fructum mihi videbor. Itaque ut quod sentio ex animo dicam: ab his literis, quas ut magis magisque amplecteremini ego vobis semper auctor fui, ne aut labor deterreat vos, sine quo nihil nec honesti nec magni quidquam effici potest, aut desidia avocet indigna illa quidem quum omni omnino homini liberali tum vero maxime adolescenti optimarum literarum studioso, etiam atque etiam cavete!